

Sed voluit saltē respondere rationibus dissentientium, & ex abundantia saltē insuper quædam adjicere ad illustrationē sententiæ suæ facientia. Igitur etiamsi ea argumenta illustrantia nihil solidi probent, pro nostra tamen & Ciceronis sententia sustinenda sufficiet, quod nec adversariorum argumenta firmiter concludant. Et locus quidem in *Oratione pro Cæcina*, quem vide supra §. 51. respondet aperte ad doctrinam Mucii quasi deditio auferat jus civitatis, negando assertum Mucii: cujus adeo hæc est periphrasis: *Quid? ait: ex quo juris capite defendi posset eum, quem pater populusve vendidit, amittere civitatem. Et si enim concedam tribuno plebis, ut recte dictum, esse aliquam convenientiam inter deditioem & venditionem, tamen inde potius argumentum erit intervendum ad deducendam conclusionem adversam per deditioem, quam acceptio secuta non sit, nequaquam jus civitatis esse amissum. Uti enim is, qui a patre venditur, minime pro derelicto habendus est, si ab emtore non sit acceptus, cum qui vendidit rem suam, eam perdere nolit; sed ad alium transferre, ita quoque in deditioe ejusmodi res se habet. Quippe ibi pariter civis Romanus traditur, non animo derelinquendi, sed ut civitas religione solvatur. Ergo tum demum abdicatio imperii a tradentibus facta est, si ab ipsis, quibus deditur, acceptus sit. Quod si non accipiatur, ut Mancinus a Numantinis non est acceptus, tunc retinebit integram causam & jus civitatis. Consentit Ciceroni Ærodius *rerum judic. f. 546. c. 2.* Nam si per hostes steterit, ait, quo minus deditioem accipiant, nonne religione solutam esse civitatem? Si ita est, perinde omnia haberi, ac si nunquam deditio fuisset necessaria. Quod autem addit idem Ærodius *d. l.* In damnatione conditionem non inesse, in deditioe secus; non enim deditum aliter eorum fieri, quibus est deditus, quam si sit acceptus, id quidem paululum obscurius dictum est, nisi verba Ærodii sic velis exponere, quod respexerit ad distinctionem ex delicto & ex contractu factam, de qua supra §. 53. 58. & putaverit in deditioe ex contractu, ut hic, inesse conditionem, ut tum demum derelictio civitatis præsumatur, si civis deditus acceptus sit, aliter autem se res habeat, si deditio facta sit propter delictum, ubi præsumendum sit, quod civitas dedens civem dereliquerit, sive idem acceptatus fuerit ab illis, quibus est deditus sive non fuerit. Ubi tamen vide, quæ quoad hoc posterius membrum differuimus supra §. 59.*

§. LXII. Ergo cum obtinuerimus per deditioem Mancini eum jus civitatis nequaquam amisisse, frustra bonam causam desereremus, si velle.